

✚ (✚) ✚ (✚)

BREVIS EXPLANATIO,

SEU GRAVIS ELOQUUTIO TANGENS
laudationes R.R. herōum Patrum, qui accla-
marunt laudibus, & in percelebri

ACTU CONCLUSIONUM
ENCOMIIS POSUERUNT
nubibus

R. PATREM. FRAT. JOANNEM
CONEJERO A S. FRANCISCO,
FUTURUM AGNAGNOSTAM, GENERA-
lem Concionatorem, Assensis Cœnobii repletum
Præfulatu absoluto, bis à Secretis Provinciæ, Guar-
dianum Conventuum Cœsarianæ, Arcobrigæ,
Romuleæ, Polymelæ podêre, veluti baculo Pro-
vinciæ consolatore, regentem, Præsidentem Capi-
tulo R.R.P.P. Tertii Ordinis S.P.N. Francisci, unâ-
que totius Ordinis Seraphici Generalem
Diffinitorem.

UNATO ÆQUITATE CONGRESSU PRO-
vinciali, & coagmentatâ Diffinitoriali turba pro-
bitate fidei; in Conv. amplo, pergrandique Nudi-
pedum F.F.S.P.N. Francisci titulo melico Reginæ
Angelorum agnito, Gadicensi Urbe, Amathusia
Orbe, Nono Kalend. Novembris ann. ab
Incarnat. Verb. MDCCLII.

*GADIBUS: Ex Regia Typographica Officina
D.Emmanuelis Espinosa de los Monteros,
in Via S. Francisci.*

✠
JHS.




MANIFESTARIA MONSTRATIO

dignitate nata, insinuatione nota, signans Cupidinis caractere, pectoris munere arguta Orationis Rhetoricæ organa encomia resonantia, non sine linguæ placabilis eloquentia: quæ Mavortis instrumentis validis militiæ

suæ commilitones doctissimi ad prælia vocum Minervæ parati; quia dynastæ periti clypeo cognitionis, hastaque regiminis instructi coram illustri Provinciali Senatu in Domini sapientiæ divites facti, & cogniti usu Ulyssis methodo plauserunt, & veluti Pericli modo nitido fulgura, fulmina, & voces ad permanentia sidera iactarunt. Et ut in dies usquequaque dulcis memoria Ioliadis religiosi odore unguentorum, aromatumque repersa persæcla maneret, comisque festiva maneret, unaque memoriale pacis, & strictæ Societatis foret: visum fuit intimis, quod in tabulis cedrinis, candido calculo notaretur æterna, at in æris laminis (more luminis) duraret perpetua. Sic dum Phæbus ardua surgit cognotans Eoum, quod splendoribus complet omnia Titan; sic (repetit amor) primò extollebat Actuans

Patrem, Provinciam iunctamque, simulèt Congressum notatione nobilitatis, virtutis, doctitudinisque insignem.



⁴
A Facio laudum ; sed quis meditetur easdem?
 Non Cicero, Frontoque, Cyrus, Deciusque, Platoque
 Dicere vix audent magnalia Præsulis alti,
 Crescere qui meritis, probitateque crescere visus,
 Visus & aureolam doctrinæ carpere pernix,
 Agmine magnificus, multorum nomine gratus
 Compatiens, prudens, blandus, venerandus, honestus;
 Scripta volant, munimenta Patris per sæcla regentur,
 Fama agilis cursat, celerisque cucurrit ad Indos,
 Nidificat, populis sortem resonantibus, omen:
 Surgit perpetuòque gigas Odenatus inermis,
 Conditur egregii Firmi per nubila vertex.
 GADIBUS ignitis cor victima pervolat aris;
 Ut Salamandra solet lætos cùm conspicit ignes,
 Iustitia Iustus Iudex Is Iure Ioannes
 Cernitur, inspicitur, legitur, veneratur, amatur
 Muneribus, monitis, bonitatibus, omine, factis
 Conspicius, peritansque probus, reverendus, onustus:
 Hoc Charites repetunt, glomerantur per aëra linguis
 Atque novis flammæ, tanguntque incendia Cœlum,
 Oribus insignes, cordis rutilante pyropo;
 Se cremat & rutilat, Vulcanica dona ministrat.
 Cursibus innumeris, velutique caractere tersum
 Principibus redeant speculum virtute renidens.
 Vive, vale, propera, lustrareque, currito, perge,
 Consequere eximium Generalis in arte bravium.
 Quique Menestæi portas ab origine natus
 Quid modulabor? honos tuus extans Herculis instar;
 Corde gregem pascisque regis, custodis Adonis;
 Moribus Angelicis factus (vigilantia nota est)
 Forma gregis, pacis signaris Olympicus arcus,
 Fœderis ut signum peperit quod gaudia victor;
 Eloquii flores das germina docta priores

Temporibus geminis, lætanter carpe coronam,
 Et Patriæ validis æternò fige columnis.
 Qui quatuor cætum componitis Ordine iustum
 Diffinitores, vèl lumina, gaudia nostræ
 Nudipedum turbæ, stabiles fulgore rotæque
 Inqueis indè thorum pietatis honore locatur
 Mobilitate piâ; date munia pectoris ampla,
 Ut glomeretur amor, cùm pignora clara Minervæ
 Estis, ubiquè pares Geryones more decori.
 Iuncta caterva micet, socios circumdet, adornet:
 Omnes lætitiæ comites vos deniquè nostræ
 Dominici Patris nati, qui stirpe frequentèr
 Angelici Thomæ Aonio de fonte bibere
 Verè nectareumque cibum sapientis ad umbram;
 Jure legant segetes auri pâllore feraces.
 Quique ducis similis Christo descenditis orti
 Vos sectatores Domini Genitricis alumni,
 Sumite doctiloqui subtilia Palladis arma,
 Et venti documenta ferant clamore, sonoque;
 Unde ut odoriferos quatiant moderamine flores.
 Hinc videoque rosas, illinc iam lilia cerno,
 Altile vetonicum, violas sèd punica poma,
 Quæque Flora dedit cingens camposque liquentes:
 Omnia mirifici pluvias spargantur odoris;
 Accipiant doctumque favum splendore periti,
 Efficiant animis, tanta sic luce theatri,
 Argumenta crepent, concorditèr organa vocum
 Proponam, Scoti Doctòris foedere theses.

SIC MELLEA VERBA NESTORIADES
 Dominicanus Præses R. P. M. Fr. Petrus de la
 Coba Prior olim, & Rector Universitatis SS. Rosarii
 Villæ vulgò Almagro, ex Diffinitor Provincialis Capi-
 tuli, ex Præses Conventuum Civitatum vulgò Chin-

chilla, Alcaràz, & Magni Portus à S. Maria, & nunc
 Præsul Conventus S. P. Dominici Urbis Gadicensis,
 plenus gratia, & sapientia onustus laudem personabat
 Arenuus, & de fructu oris sui mala aurea (dum loque-
 batur in tempore) præbebat disertus: at incipiendo per
 ornatam gravem Prosopopœiam, veluti efficacissimam
 ad se corda, renes, intima, visceraque rapiebat
 hilaritate virtutis, seu virtute hilaritatis.
 Ità principium dabat.

INDUERE VESTIMENTIS GLORIÆ TUÆ,
 Civitas Sancti (Rev. Adm. Patres, venerande
 amabile mihi Præsul huius catervæ regalis, & sa-
 pientissimi herôes, luce præclara Magistri, fortes Israel
 lectulum Salomonis firmiter custodientes, omnium
 armatura fortium, eminentèrque tenentes, & ad bella
 magna peritia doctissimi) induere vestimentis gloriæ
 tuæ Civitas Sancti; sed quæ gloria est huius Sancti?
 gloria de qua Sanctus dixit, gloriam meam alteri non
 dabo, & Sancti, qui non est alter à Sancto, & Sancti,
 qui non est alter à Christo; quia alter Angelus erat ha-
 bens signum Dei vivi, & in Jesum transformatus, ait
 Divus Bernardinus Senensis, optimè & verè dicebat:
Vivo ego, idem non ego, vivit verò in me Christus.

Induere vestimentis huius gloriæ, & huius Sancti
 sacra, illustrissimaque Religio civitas, quæ & Sacerdota-
 lis, & regia, gens sancta, populus acquisitionis jure
 optimo prædicatur, de qua ut Civitas Dei gloriosa dicta
 sunt, & ut Sancta est laudatur, regio uberrima Ephrata
 in tribus Seraphico Benjamin quinque partibus dotatus,
 feliciter collocata, nequaquam minor eris in Principi-
 bus Juda, quia ex te exivit dux, Reverendissimus Adm.
 Pater Minister Generalis, qui nunc regio feliciter sanc-
 tum populum Israel, Princeps ille pacis, *in quo mise-*

7
ricordia , & veritas obviaverunt sibi , iustitia , & pax osculata sunt.

In cuius nomine generalitèr diffinit alter ille Joseph , cui verè potest dicere , & dici , nunquid sapientiorè & consimilem tui invenire potero? tu eris super domum meam , & ad tui oris imperium cunctus populus obediet , uno tantùm folio dignitatis te præcedant ; & quod in Jerusalem Esdræ celeberrimo Doctori , & Scribæ legis doctissimo dictum fuit , *A facie regis missus es , ut visites Judeam , & Jerusalem in lege Dei , quæ est in manu tua ; in manu tua sunt diffinitiones legis.*

Quis putas , vir iste erit? Joannes est nomen eius , Joannes interpretatur gratia , & vir iste religiosissimus , & sapientissimus omni gratia decoratur ; decoratur gratia sapientiæ , illustratur dono prudentiæ , nobilitatur dono consilij , directionis , & regiminis , ut diffinitio quid nominis Reverendissimum Diffinitorem diffiniat , & convenient rebus nomina sæpè suis : apellatione nominis *Conejero* , quod perfectò anagrammate dicitur *Cor. Jonæ* ; Jonas interpretatur columba , columba designat prudentiam , & sinceritatem , & in apellatione nominis istius viri religiosissimi , quod inspicitur , velut in compendio , est prudentia , & quod relucet , ut in summa , est sinceritas.

Vir , inquam , inter viros gloriosos , Parentes nostros gloriosissimos , Reverendissimus Adm. Pater Diffinitor Generalis , in quo omnes , velut in pulcherrimum virtutum ad perfectionis religiosæ prototypum , ora mentesque convertunt , & mirabilem in rebus gerendis prudentiam , & cuique attemperandi artem , quo omnibus omnia factus est , & reformandi dexteritatem ; & zelum addiscant , de qua , teste Tacito cum suo Agricola aptè dicam : *Naturali prudentia ubi conventus , ac Judicia poscerent , gravis intentus , severus , &*

sapius misericors tibi officio satis factum nulla ultra potestatis persona, & quod illi rarissimum est, aut facilitas auctoritatem, aut severitas diminuit amorem.

LECTOR SUGGESTU RESIDENS, radios sapientiæ lucerna fulgoris spargens humanitate præditus affectus sagitta percitus proferebat de thesauro cordis bona, simulque deosculabat labra sapientis; quia recta verba respondebat; & cum Plauto lemma collocabat in pectore scientia ubere: *Nec facundia deseret hunc, nec lucidus Ordo.* Siccinè Tullius mixtus Orpheo lyram metricam pulsibus tangebat unitis plausibus.

CHare Pater, vel honore ducis primævus ad intra
 Excellens quidquid tribuis, venerande, palæstræ.
 Percelebris *Petrus* Prudens Præsulque Patronus,
 Candida Cuncta Canens Cynos Cognomine *Coba*,
 Solis selectusque Sciam solamine Solvis;
 Unde stola pacis byssina ornatus Apollo
 Pacificus Salomonque regis; quia munere princeps,
 Ante alios rutilas fratres sol inter ut astra
 Oraque cum tribuit fulgentia; sidera claudunt
 Lumina clara die, monstrant se fulgida noctu.
 Te plaudant pueri, comites, iuvenesque, senesque,
 Scintillas sapientis aquas de fonte salubri
 Angelici Thomæ Doctoris ab ubere fugis:
 Spargere pronus amas: homines potentque liquorem.
 Nate aquilæ alarum magnarum trade medullam
 Cedri munifici; Moderator in ordine primus
 Inventus, qui corde docet, cum pace salutat,
 Allicit ad petram mellisque per ardua turmam
 Dominici grandis signatus luce sigilli,
 Qui radiis totis præbet, firmusque per orbem
 Permanet fixissimus, donèc sol aureus adsit,

Atque rotas moveant vel equi stridore perenni.
 Fratribus hoc commune tuis; quia nube soluta
 Dominici Patris, peperit iam fulgura, iamque
 Nis liquidas lymphas; quibus intima pertrahit ad se.
 Lætitia uniri fratres insignis in unum,
 Sole Diana minor splendescat ut unica maior.
 Fulgeat æternè, niteatque in arce Tonantis;
 Suggestu Cathedraque simul moderetur, & orbem.
 Sed duc chare vices, resonent modulamine voces,
 Dum rogat, atque rigat cordis præconia pectus,
 Et certent discreta Patris pia verba Magistri:
 Gutturè iam saliat mellis cum robore vortex,
 Ut possit cumulisque sitim sedare clientum.

DEINDE SECUNDUS AGGREDITUR NATUS
 alitis Seraphici R. P. Fr. Didacus Ximenez Colle-
 ga Compluti, Cæsariensis Præses olim, Provin-
 ciæ Custos, Lector Jubilatus, & Vice-Commissarius In-
 diarum, primus in congregatione virorum, (& ut ait
 Salomon) cætu gigantium commorans, fontem vitæ eru-
 ditionem possidens, dabat agnitionis pervia universis,
 & ingenuus oris ianuis addebat gratiam: aptè dictum
 Principis modulorum: *Hic vir, hic est, tibi quem pro-*
mitto sæpius audit. Quia pinxit gestu, gerit manuum
 pictura unionem artium miram. Initium sumpsit per
 periphrasem ornatu comparandi nutricem efficacem
 cum Anadiplōsi, Traductione, Epanalēpsi, cunctisque
 facundiæ pictis floribus redolentibus inviridario Rhetor-
 is egregio aromata, fluentia rivos odoris. Nam Demosthenes
 elegantia, Plato sapientia, Hermes æquita-
 te iustitiæ, & iustitia æquitatis clarus intelligens, æqua-
 lis, iustus prospicitur, nobilitatur, dignoscitur: sic pro-
 priè illi Cygni Juvenalis: Grammaticus, rhetor, geo-
 metra, pictor, aliptes. Sic sono testudinis, seu cordis
 C
 cym-

cymbalis benè sonantibus armonicæ laudationis omnes sapiebat ducere quò vellet prece blanda , gravitate felici , & cùm Marone canere poterat ubiquè : Sicelides Musæ , paulò maiora canamus. Dulci voce ità perfollebat encomia eximia.

IN TANTA sapientum frequentia , in tantæ faustissimæ lucis , exultationis , & honoris amplitudine , coram disertissimis sanioris eloquentiæ Magistris , gaudere potius intra pectus optarem , quàm eloqui : applaudere malem , quàm disserere. Sed quandoquidè , & iucundissimo benevolentiae vestrae , liberalisque comitatus illicio , & invitabili meæ vobis (meritissimi , sapientissimi que Patres) eximiæ debitæ observantiae venerationisque incitabulo illectus adducor , vel (siut Poëtæ dicere licuit) Trahit sua quemque voluptas ; & voluptate trahor , & amore ; vestram non ludis scenicis , non Græcis , non palæstris , sed Scotico sapienti dicatam certamini , orchestram libentè introeo. Sed hem ! Quî orchestram dixi , sphæram quam Seraphicam , sacratum potius Cœlum appellavero ? Quidni cœlestem sphæram tot quæ radiantium luminum , & non unius tantum maioris luminaris coruscat irradiata fulgoribus ?

Felicem vestram fortunatissimam venerabundus Æparchiam conspicio , & qui medium iure maximo non obtinet modo , sed honorat , dignissimum Præfulem (ut cum Romanæ eloquentiæ Principe loquar) Ducem , principem , moderatorem luminum reliquorum , cunctarum virtutum , ac sapientiæ radiis mirificè effulgentem demiror. Solem , dicam , splendidum , à quo (ut Theodorici apud Cassiodorum verbis utar) præcipuas , præstantioresque Provinciæ dignitates , quasi radios à Sole , velut exeuntes intueor. O splendidam luculentam sphæram tot radiis , tot soligenis illustratam !

Sed est, quod magis mirer, Patres meritissimi. Non unius tantum hoc vestrum Seraphicum Coelum collucet luminaris fulgore. Novo Sole illustratur, & clarissimo. Venerandi vestri imò nostri omnium observantiae, & venerationis dignissimi Diffinitoris Generalis P. A. R. Optimo jure functi dignitate, eximias doctes, conspicuas virtutes, & illustria merita, dum dispiciens considero, in mentem venit illicò Nafonis illud:

Virtutum meritis tu mihi Phoebus eris.

Quidni præstantem nostrum, conspicuumque virum nominatissimum JOANNEM CONEJERO clarissimum Phoebum indigitem! Proh dii immortales! Quantum hominem! Quantum Apollinem! Maximum vestrae gloriae incrementum, & sphaerae totius clarissimum dicam ornamentum, & lumen.

Euge, euge Eparchia Seraphica, salve. Exulta, & lauda gloriosissima Sion, quia in te feliciter natum hominem fortunata tenes, & hominem. Lætitia, imò exultatio te decet vel maxima, cum talem à Domino ductorem, vel Solem ad iustitiam acceperis. Cuncta sortita est, & amplius in uno: & Ducem, & Patrem, & Solem; qui virtute multiplex, prudentia laudatissima dirigat, benevolentia illiciat, & amore, suaeque te radiatissima luce lustret, compleat, & illuminet.

Plura dicturus, nam plurima possem, sed cum ad tanti præconia meriti non ego sim satis, nec reperiri verba possint quæ tantam gloriam exprimant, & exæquent; felicem vestram, & fortunatissimam sortem vobis iucundissimè gratulor, lætantiè mihi gaudeo: & insigni tuæ, Pater admodum Venerande, modestiæ singulari morem gerens, dicendi finem facio; ast in corde manet illud Maronis:

Sem-

Sempèr honore meo, sempèr celebrabere plausu.
Et illud :

Quaque patet tellus liquido circumfona Ponto.
Posteritas te sera canet : dumque aurea volvet
Astra polus, memori sempèr celebrabere famâ.

SUSPENSUS LECTOR audiebat verbum, quod loquebatur disertus orator, gravis monitor doctus rhetor. Stupore plena tremula vox faucibus hausit, & rumpendo ligacula circumstantiæ labiis suis, hæc in palam faciebat verba de theca viscerum exita, de pelago pacigeræ comitatis exorta. Mansuetus positis auribus intendens, & exultationem laudis è corde fundens, potatus suavi mero unionis, atque torrente voluptatis, novi Arionis cantu, intelligens cum sapientia à proferbat dulcissimum responsum. Ita vinela charitatis, pacis, & virtutis se restringebant, ut colligatione loquentiæ Cæsar & Marius murænullis aureis amoris iuncti visi: ut illud Jobi quirent explanare: *Vincti paritèr sine molestia*: & Maro modo miro: Et cantare pares, & respondere parati. Sic pio ore modulabatur.

Qui Francisciadum sidus rutilantia præbes
Lumina, gnare Parens; cuius sapientia clamant
Sic fieri posset, paries, pelagusque, Ceresque
Piscibus, arboribus: solvam mea viscera gratus;
Nàm sociatur amor, glomeratur honore vicissim.
Littora quot conchas, quot amœna rosaria flores,
Quot creat arcta feras sylva, & quot pontus arenas,
Quot volucres pandunt plumas crepitantibus alis,
Unda quot argenti scapulis vel in æquore nutrit:
Tot numerum retinet virtutum, totque favores
Pieridum, Ciceronis onus gravitate suave,

Donaque tot Sophiæ sapienter possidet in se.
 Compluti Collega legit munuscula lamæ,
 Magnificus Custos & strenuus ordine Lector
 Jubila sine capit doctrinæ iure repletus;
 Atque facultatem Generalem tendit in Indos.
 Euge Pater, gestis; Præsulque leporibus, euge;
 Religionem Jacob clari, qui stigmata portat,
 Æmulus Alcidis dorsis sustollit Olympum
 Ecclesiæ: natis celebris, quorum prius extat
 Scotus quod princeps sophiæ, vel nobilis atla,
 Non comite eximius, cuius doctrina patescit
 Clara, diserta, celer, iucunda, decora, suavis.
 Incipito ingenii fervore ciere carinam,
 Proiice; sic cupidus genii dare carbasa ventis,
 Arte scies, pontumque move, tranato profundum.
 Propositum dictum respondeo promptus ad aures
 Cernuus, & supplex arguta favore resigno.

IAMQUE DIES CONTRAXERAT CALIGINE
 umbrarum formas rerum, & Attinis ex æquo dis-
 tabat utraque meta: cùm Matuta excursions fa-
 ciens, vesperuginis sideris claritas emicuit, dum gau-
 dia laudis edocuit: Senatu perito, nobilique comple-
 to; omnes tacuere, intentique ora tenebant; quia so-
 lertes, & docti loquelæ scientiam moderabantur, &
 preciosi spiritus herôes eruditi erant noti Syracide tex-
 te: *Audi tacens, simul & querens*. Amabili & nobili
 Sione stans patefaciebat iucundam, decoramque lauda-
 tionem, annuncians Patri Generali Diffinitori eximius
 doctor, acclamatorque Lector illud Stoici: *Laudo*
meum civem honorabilem, iustum, gravem. Verò sic
 verbis resonabat alacritatem, & proponebat omninò
 gratitudinem R. P. Fr. Joannes Lopez à S. Bonaventura
 Artium Lector olim Ossunæ, Scholasticorum Magister
 in

in magno Conventu S.P. N. Francisci Hispalensis Civitatis, & nunc Lector S. Theologiæ Gadiris.

*RHETORICA EXEGETICA ORATIO IN
laudem R. P. N. Fr. Joannis Conejero Diffinitoris
Generalis Ordinis, eiusque almæ Provin-
ciæ S. Didaci.*

Quousquè celsis munita præsiidiis, infractis vallata viribus, orbis admiratio in Cœlum erigeris? Rev. Adm. Pat. omnigena eruditione conspicue, cuius sapientia virtutem, cuius virtus sapientiam superat, amantissimæ, colendissimæque huius almæ Provinciæ per illustre caput.

Si tibi permeritas laudes persolvere coner;
Conantem certè debilitabit onus.

Te celebrant omnes quanto decet ore, tuasque
Ingenio laudes uberiore canunt.

Conscripti, charissimique P.P. eximiæ huius eparchiæ firmissimæ columnæ, queis veluti micantibus stellis hæc perlucida Minorum sphaera mirè coruscat.

O felix, ô mira satîs concordia Patrum!
Nequities tecum non habet ulla locum.
Vivite felices, quorum clamantia nostrum
Vestri iam laudes dulcitè ora canunt.

Sapientissimi Magistri, Sacræ Theologiæ explanatores optimi, quorum doctrina, veluti Sole, Luna fulget Ecclesia.

Coeter & adstantum congressus, docta corona,
In qua tot sophiæ digmata clara nitent.

Quousquè (inquam) celsis munita præsidiiis infractis
vallata viribus orbis admiratio in Cælum erigeris? Us-
quequò nobilis numeroſe cœtus, Seraphici gregis elec-
ta portio, Provincia felix, usquequò tot decorata splen-
doribus filiorum tuorum gloria distincta, ipsorum &
perfectione exuberans, cunctorum oculis, cunctorum
mentibus, dum appares minor, proclamaris maior?
Maior ecquidem, sed ut aiebat Plinius: *sine ullius di-
minutione maior*. In tuæ sapientiæ lymphis, in tuæ
virtutis rivulis fons ille parvus tu es, qui in fluvium
pergrandem crescens, in Solemque conversus, sic lucis
tuæ vibrantes radios spargis, ut à calore eius abscon-
dat se nullus.

Sed quid mirum! Si illius parvuli maioris qua mi-
nor, maximi, qua minimus S. Didaci (inquam) ampla
protectione fungeris, robusto fulciris clypeo? Ille est
ille pauper, & dives, dum veluti magnes mirabilis,
Hispanorum cordium domitrix extat, cuique Reges
cuncti, dynastæ omnes munera offerunt. Hic est por-
tentum Urbis, & stupor orbis, sic cruci affixus, ut eo
demiretur sublimior, quo spectetur humilior, in nullo-
que alio, nisi in cruce D. N. Jesu-Christi vestigaret glo-
riam; ita ut cum Boëtio canere queam:

-----..Immobilisque manens, dat cuncta moveri:

Crucis robore teteros horricosque dæmonis sternens
conflictus é procaci erebo quàm plurimos viridantes
lauros tulit, dum deviantes homines in viam pacis di-
rexerit, adeò ut cum Vate concinat:

Fido

Fido cruci: tota hoc pendet victoria signo;
Hinc erebi clades; hinc animæque salus.

Quamobrè in Civitate illa Sancta Jerusalem inspicio te depictam, obsignatamque; in quadro (hoc est) in cruce posita admirabatur celsa illa Civitas, cuius longitudinem, profunditatemque Aquila Evangelica Joannes, inquam, aureo dimentiebatur calamo. Quid igitur? En arcanum maximum præsentisque arenarii cœtus mira descriptio! Tu ergo es nobilis eparchia illa miranda civitas de Cœlo descendens filiorum tuorum, veluti cœlestium incolarum coruscans fulgoribus S. Didaci Tutelaris maximi cruce mirabiliter ornata, magnificè exaltata. Inclytus alter Joannes R. Adm. Pater huius præcellæ Provinciæ Pater eximius, totiusque nostri Seraphici Ordinis Generalis Diffinitor, cui iure optimo, meritissimèque hæc Theologica Comititalia sacrantur floridantia vireta, celsitudinis tuæ metitur fastigium, proceramque tuarum dotum ascendens arborem, velut aquila grandis medullam tulit.

Tu, inquam, es R. P. minoris sphæræ Seraphici Cœli aquila grandis velans, & volans: aquila velans; protectione enim alarum tuarum velantur miseri, proteguntur afflicti, dum strenuis, arduisque rebus facilem pandis viam: undè illud Poëtæ tibi optimè quadrat:

Magno animo fortis superare pericula novit,

Ullo nèc facili concidit ille metu.

Ardua quæque geris, paterisque; sed ardua quæque,
Ingenio vires suppeditante, ruunt.

Volans quoquè aquila tu es, qui in Urbem, & orbem alas virtutis tuæ sublevans, vibrantes cœlestes radios ebibis, illisque micando refulges, refulgendo micas;
adeo

adeo ut quod Salomon difficile, tecum iam ostendatur facillimum. Humanæ mentis penitus abstrusam viam aquilæ in Cœlo reputabat ille; tu verò Evangelicæ aquilæ æmulator existens, in Seraphico firmamento velociter scandens in arduis, in tua (dico) percelebri Stricteris Observantiæ eparchia nobili potuisti nidum, cunctas superans mysticas gyrantes aves, neminique volatu cederes; melius ergo quam de Octavio Virgilius, de te canam & ego:

..... Magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello: victorque volantes
Per populos dat iura, viamque affectat Olympo.

In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, eloquitur de aquila S. Job. In suprema, tu, firmissima petra Seraphici ædificii solidissima base, mysticæ Jerusalem angulari lapide, qui factus est in caput anguli, & est mirabile in oculis nostris, fundamenta moliris, & cum regio Psalte concinis: *In petra exaltasti me*. De hacce petra, velut alter Moyse aquam salutarem doctrinæ, scientiæ, & virtutis eduxisti, ut potantes tui in æternum vivant, & abundantius habeant. De hac præcellenti petra melle saturasti eos, ut tali alimonia nutriti sub tanto Patre sint filii excelsi omnes. Sed quid mirum! Si à Minorum petra quasi Joannes alter à Domino cæteris altior honorari meruisti! Ex ipsiusque sapientia fluente Evangelicæ perfectionis fonte potasti, aquila exiens ex illo eximia involatu, in laboribus magnanima, benefica erga parvulos, ut hac probati luce, gregis tui foetus in Phoebeas axes gressus suos velocius dirigant, teque ducere, possimus de illis cum Horatio canere:

En aquilæ foetus Phœbum fert parvus adultum:
Non iecus herôis grandia fert ioboles.

Aquilam in suis vexillis olim pingebant Romani, ut suorum milites hoc exemplari armati, & dimicarent fortiter, & victores existerent. Quo cum robore certabunt, quasque non reportabunt palmas Seraphici tui Strictiores pugiles aquilæ tantæ virtute suffulti? Monte raptus in Cœlum propheticus Ezechiel citum aspexit plaustrum, cuius onus quatuor animalia distinctis ornata faciebus, hominis, scilicet, leonis, bovis, & aquilæ portabant. Unumquodque eorum coram facie sua ambulabat, sed aquila cæteros anteibat: etenim facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. Sed quid rarum! Si currus ille nostram Minorum familiam præsignabat; sic namque in ipsius infantia fratribus apparuit Seraphicus Pater; utpotè suæ militiæ currus, & auriga. Ergo currus Seraphici, suave iugum in rotis melioris fortunæ, ac superioris viæ strenuè portant cuncti Seraphici Patris asseclæ: unumquodque coram facie sua ambulat; tu verò, R. P. velut pergrandis aquila omnibus præcellens, in fulgentiorisque Solis lucem volatum elevans, *licet in cacumine* (ut cum Symbolico loquar) *respicis vallem, infima vides*; dum omnibus humilis, dulcis, modestus, affabilisque videris; ita ut cum Divo Ambrosio effari possim: *Plus est quod probatur aspectu, quàm quod Sermone laudatur: Suo enim utitur testimonio, & non suffragio alieno.*

• Sed quo feror? Sisto gradum; etsi enim multa, magnæque loquar ad tuæ virtutis, sapientiæque fastigium minimè pertingere potero. Unum mihi solatium superst illud Nasonis documentum:

Ut

Ut desint vires, semper est laudanda voluntas,
Hac ego contentos auguror esse deos.

Et Propertii illud:

Quod si deficient vires, audacia certe
Laus erit, in magnis & voluisse sat est.

Non ergo munus viriumque mearum exilitatem respicias, obsecro; sed magno desiderio, affectuique cordis propitiùs fave; dum gratiùs cano:

R. P. N. E. J. O A N N I C O N E J E
 utilas dotibus celsis decoratus
 erennis tuæ maximæ excellentiæ;
 ostroque cœtui valdè honoratus
 rueris cumulo tuæ sapientiæ,
 n qua apud omnes es veneratus.
 quantum copiam magnificentiæ
 uges! ut in sphaera eminentiore
 obis arrideas maximo honore.
 ulli iam cedat hoc deliciosum
 in omni scientia viridiarium,
 unctarum dotum valdè copiosum,
 mnis virtutis sacrum ærarium,
 ec non theatrum hocce decorosum
 loquens niteat decus litterarium,
 in quo, tu Pater, norma perfectionis
 R O G a s culmen tuæ eruditionis.

Iam,

Iam, iam præconii sâtis, hucusque enim immensum tuorum magnalium exarans pelagum, ad tuæ protectionis portum, ad tuas sublimes aras hæccine tibi debita encomia cernua voluntas libat. Huic ergò benignus annue municulo, quod tibi affectus dixi, & gratus duxi: sèd parce, precor, cùm potiùs tuas meæ vilescant laudes. Tu deniquè chara Mater, perillustres coetus, felix Provincia in tali filio, in tanto Patre exulta festiva, vive iucunda, regna secunda; dùm in arenam descendens ego, non impugandi causa, sèd addiscendi gratia, sic dico.

FASTIGIO CATHEDRÆ SEDENS LECTOR

Benedicens gratitudine doctum dynastam coram nobili sapientum agmine; & exurgens agilis, facilisque *valle benedictionis fertilis*; veluti Jovis altitonantis alis in æthra docticanis sonis ludebat sensibus; & sic dimicabat latè armis facundiæ suavi lite, undè indè modus dicitur cum Vate:

Sternit Hyona Chromis, Chromin Antiphus, Antiphon Hypse.

Te nostris ducibus, te Graiis anteferendo.

Novus Apollo cordis citharæ attingit chordas, sonisque melicis Carminum notum erat illud: *Et potuit rupes sensificare tonis*. Sic responsum offerebat fortiter, dùm propugnacula ingenii ubertatis cum pace celebrabat feliciter.

O Proles miranda tuis Confratribus! ô dux Prosperitate bonus, qui iure laboribus unus

Mu-

Munus amicitiaeque ligas cum funibus auri
 Commixtis pietatis; agis quia gaudia pacis
 Agmine in arte pius Sapientum magnus habetis.
 Itque, reditque viam doctrinae semper amator,
 Plausibus hanc sequitur; sic dux Troianus Achatem,
 Nysus, & Euryalus, Theseus socioque fideli.
 Agnita visa fuit concordia stricta virorum;
 Et tua iuncta manet; cum vincula cogis, & urges.
 Aera quique quatis vexillis prorsus amicis
 Mercurii Scoti, qui clarus tempore in omni
 Iustus Atlantiades geminis caducifer alis
 Palladis, & virtutis honos: nam stemmata portat
 Virginis ante alios, volitatque cacumina victor;
 Libanus aspectus, quia vertice purus ab illo.
 Nobiliora probus tabulis manifestaue cordis
 Pingere signa cupit generosae Matris honore.
 Discipuli accipiunt cuncti, sumuntque benigni,
 Et super astra locant, plaudunt, sine fine celebrant.
 Haec gestis Scoti, cuius fastigia noscunt
 Sidera, Apollo, Erinnyes, post astra volantia Coelum:
 Doctrinis, scriptis nulla comitante caterva;
 Vincit, regnat, ait, superat, quit, complet, honorat:
 Filius ut Patris clytos aemulus alter Eliae;
 Divitiis opulentus adest sine pondere nummi:
 Ostupor insignis! multum, nil, Cræsus, & Irus.
 Semina iustitiae qui scivit spargere mundo;
 Crevit in eximium fructum cum germen agello
 Sumpsit iter fursumque poli properantibus undis;
 In tribus Ordinibus proventus carpit ubique.
 Fulgeat aeternè similis de more Volucris,
 Quæ cum fasciculis gaudet casaeque ligatis
 Et thuris lacrymis, cingens fulgoribus auri
 Collum, caeruleam cristam, caudamque movendo
 In roseis pennis distinctaque vivit in ævum.

Digna sed argutis positis celebrabo notatu;
Rumpito virque moras, veniant modulamina vocis.

ITA EXTREMUM JUBILA- TIONUM ULTIMUM CONFECTUM,

ET epiiceos Epistatu equidè in lucem aliquid ex pluribus editum: maxima cum pompa honoris vasa cordium exultatione faceta abundabant, quòd universis ambrosiam jubili saturitate fundebant. Agonia eximia litterarum consummata, arma cognitionis stabilia omissa, tela velocitè acuminis è pharetris solertiæ abstrusa, veluti in Orchestra prosequio Atheniensi, Thersæi moribus, prælia, Gymnica intellectus bellica versa fuere totis incitamentum fœderis perpetuæ, & gloria gentis suæ; ut cum Horatio confcio: *Psallimus, & luctamur Achivis doctius unctis. Qui sicut aquilæ congregantur pii.* Gaudete magnifici concilii huius eruditi viri sorte noti; iterum (os loquitur) gaudete sine intermissione firmi Æneades mystici Israel plamate Minervæ conspicui; sonetque lætitia Jerusalem procul, & sine fine. At pro termino, & coronide pacili operis aurea Principis Heliconiadum comitis locetur apophthegma doctum ad rem ductum:

*Cogite concilium, & pacem laudate sedentes.
Ex illo celebratus honos; lætique minores:::
Ergo agite: & cuncti lætum celebremus honorem.*

LAUS DEO.